

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis secundâ mensis Januarii, anno Domini MDCC. LXXVII.

Mº. JOANNE-RENATO SIGAULT,
Doctore Medico, Præside.

An perfectio digestionis à Latice nerveo?

I.



UICUMQUE cultro instructus Anatomico, abditissimas machinæ humanæ latebras, scrupulosâ indagine perlustraverit; quicumque diversas fibrarum motricium directiones, modo in telas, modo in retia abeuntium, multiplices musculorum ortus, tendinumque insertiones, ligamentorum apparatus, variosque connexionis ossium modos secum attentè perpenderit; quicumque demùm, in humani corporis fabricâ, columnas, trabes, cuneos, vectes, trocleas, cribra, folles, & alia sexcenta id generis instrumenta mechanica (*a*) ubique deprehendi edoctus; is non poterit stupens & mirabundus, quin tot tantarumque rerum naturam veneretur

(*a*) M. Lieutaud, *Elem. Phisiol.* p 46, 47, &c.

artificem. Undè ſapientes quidam, hominem jurè ac merito, miraculum mundi conclamitarunt. Quid abſtruſam cordis mechanicen Evolvam? quid duplicem iſtius viſceris motum; diaſtolem nimpe, & ſyſtolem; impetum quo cruor per patentes arterias ad ultimos uſque corporis receſſus devehatur, donec per venas ad cor, præcipuum circulationis inſtrumentum, abſoluto circulo, iterum revomendus recurrat? quid evolvam alternas pectoris vices? proprio pondere per os & nares in trachealem fiſtulam irruens aer, vel minimos ſubit pulmonum mæandros. Sic dilatatur pectus, fit inſpiratio. Subſequenti momento idem interior rareſactus aer, premente exteriori atmoſpherâ, cartilaginum, muſculorumque redivivis elateribus, thorace conſtricto, per expirationem foras erumpit.

At at majoris momenti quotidiè phænomena exhibet alimentorum digeſtio. Totius humanæ compagis Regem, nonnulli ventriculum ſalutavêre. Mirum in modum ædulia aſſumpta agitat, cogit, immutat. Ex alimentis etenim vel craſſiſſimis, diverſiſſima emergunt liquamina, ad exhauſtas quaſcumque partes reſarciendas comparata; & attenuatione ſucceſſivâ in tenuius tandem reſolvuntur liquidum, quod decantatiſſimo *laticis nervei* nomine cognoſcitur. Namque, dùm per multivagas inteſtinorum volubilium ſpiras protruduntur ingeſta, chylum ex iis ſugunt vaſorum lacteorum oſcula. Ex chylo ſanguis, & ex illo novus exurgit ſecretionum ordo. Urina per renes, bilis in hepate, ſemen in teſtibus ſeparantur, ſecernuntur; nerveus latex in cerebro. Quod propter ſubſtantiæ nobilioris dignitatem, oſſeâ pixide, velut galeâ defenſum voluit natura ſagax. Quæ inibi peragitur functio, naturâ & loci ſublimitate, alias longè ſupereminet functiones. A cerebro etenim ad remotiſſimas corporis partes progrediuntur nervi. Ab illis omnis ſenſus, motuſque. Quibus vel abolitis, vel debilitatis, pereunt partes, aut contabeſcunt. Verùm enim verò, per nervorum nexus, omnia in corpore vivo, conſentiunt (*a*), in unumque conſpirant. Amiciſſimo, præ omnibus fædere, ventriculus, caputque (*b*) junguntur. Hic ille in nervis hoſpitans ignifer halitus, liquorum haud malè ætheorum ardentem ſimul & fugaciſſimum æmulatur æſtum. Illius equidem beneficio, omnia *animalizantur.* Hic eſt plantarum anima, quam chemiſtæ ſpiritum Rectorem nuncupavêre. Hic eſt variorum animantium aura vitalis (1), ille peculiaris odor, quò à ſe invicem differunt & diſſociantur. Anne eſt illa vis, à perenni cujus influxu genuina abſolvitur æduliorum concoctio, quâ in propriam indolem corpoream mutantur? Anne eſt illa vis, in quâ tota vitæ conſtantia vertitur?

(*a*) Hipp. de Alim. n°. 4. p. 595.
(*b*) Rega. de Sympathiâ, c. 5. p. 55 & ſqq.

I I.

EFFLUVIIS effeta continuis, funditùs rueret humana moles, ni pabulo congruo, novæque materiæ appulſu, perpetuò inſtauraretur. Hanc opem ſaluti-

(1) Eſt igitur calor, ac ventus vitalis in ipſo
Corpore, qui nobis moribundos deſerit Artus.
Lucr. lib. III.

feram præstare, digestionis scopus. Diversæ sortis quibus vescimur alimenta, integram molecularum suarum dissociationem, immutationemque in ventriculo patiuntur. Ipsius situm, duplicemque curvaturam nemo nescit. Quatuor constat membranis. Una tota nervea dicitur. Per patulos ultimos nervosæ crustæ ramos, in ventriculi caveam effundi spiritus animales autumat (a) HALLERUS. Istius sacculi membranacei fibrarum series in oppositum decurrit. Undè constringitur, dilataturque vicissim. In immensam molem concrescere valet. Hunc in helluonibus peramplum videre est. Quandoque etiam ad intestini tenuioris crassitiem vix accedit; quod in hominibus ab inædiâ extenuatis, aut vini spiritu abutentibus autopsia demonstrat.

(a) Prælect. Acad. tom. 1. p. 218.

Sic elucescit sapientia animalium conservatrix! Papillarum nervearum vellicatione, vacuus exsuscitatur stomachus. Tunc per famem, sitimque, non dubios vitæ custodes, nec non pastûs illecebris alliciuntur, & aliquid expetunt quod fluidis partibus sicut & solidis sufficiat. Tum dentium ope, commoluntur alimenta, comminuuntur, potu diluuntur: illa penetrat saliva, solvit, primamque incohat digestionem. æsophageo irrorantur liquore, dum ex ore propelluntur in ventriculum. In ejus cavo recipiuntur, reservantur. Adest humor gastricus, uberiori copiâ saliens, evolvitur aer, fit calor, & alterna pressio partium adjacentium, adsunt innumerabiles arteriarum ictus. In tubum intestinalem delapsa, bilis utriusque, succi pancreatici, muci intestinalis, ostiolorum lacteorum &c. &c., actiones subeunt. Omnia in motum rapiuntur, affluxu spirituum animalium. Quibus, quâcumque de causâ absentibus, nulla pressio, nullus motus peristallicus, nullus calor, nulli stimuli, queis necessarius humorum diversorum, menstrui vices gerentium, proventus sollicitetur.

Phænomena digestionis (1) ulteriùs perstringere liceat. Torpor artus occupat, obnubilant oculi, gravatur caput, mentis operationes hebescunt, fit somnus. Totum, eò tempore, ad ventriculum appellit, igniferum & vitale flumen, omninòque digestioni famulatur. Si quis autem, spretis naturæ legibus, rebus seriis post pastum mentem applicet, chartis impallescat, corpus ve immodico exerceat labore, is non quietem, reparationemque corpori, sed turbas conciliat, inania concidunt viscera, marcescunt. Illam esse functionem verè animalem, cum à nervis cuncta pendeat, quis rerum gnarus inficias ibit?

III.

PRÆSTANTISSIMAS sanè veterum ideas miremur, cùm in eorum sententiam delapsos, nilque novi detexisse neotericos compertum maneat. Ii ma-

---

(1) Non pauci extiterunt qui de digestionis opere, benè multa, inauditaque systemata somniaverunt. Cibos in ventriculo atteri, contendit ERASISTRATUS, HIPPOCRATES per calorem concoqui. Cum suis asseclis ASCLEPIADES, ab omni elaboratione alienus, materiam crudam ad vasa deduci professus est. Putrescere alimenta excogitavit PRAXAGORAS. Nec minus dissentiunt recentiores. Alii ut HELMONTIUS, ipsiusque acerrimus defensor SILVIUS DELEBOE, fermentationem; alii solam ventriculi agitationem, eliquationem, solutionem, &c. &c. admisêre.

teriæ (1) ſubtiliſſimæ encephalon officinam profitebantur, nos ſpirituum animalium Geneſim. Propter autem longiſſimas, atque anguſtiſſimas cerebri ac nervorum vias, humoriſque ſecreti inconſpicuam tenuitatem, variæ excogitatæ ſunt hypotheſes. Eorumne conſultò prætermittemus opinionem, qui nervos cordis muſicis aſſimilantes, oſcillationem, vibrationemque iis tribuerunt? Nonne obliquâ viâ progrediuntur nervi? Nonne molles, flaccidi? Nonne hinc & indè gangliones interſunt quibus à partibus ad cerebrum, & vice verſâ, motus interciperetur? At ratiocinio philoſophandum & experimentis, ut uſus ſequatur in praxi. Quis affirmare auſus, nullam fuiſſe naturæ finem, dum varios cerebri ambitus, & ex ordine diſtributas regiones creaverit, dumque millenas medullares fibras, vix microſcopio viſibiles, in unum collegerit? Nullum vas in corpore humano nunquam definit, in ſolidum, cæcumque finem. Vaſa in vaſa terminantur. Perpetuus fit liquidorum humanorum circulus. Ingens ſanguinis copia per quatuor inſignes arterias, continuò ad cerebrum defertur. Quæ autem optimi cruoris quantitas, pro cerebri nutritione nimiùm (a) exuperaret, ni fluidi cujuſdam productioni, ſecretionique, pro maximâ parte impenderetur. Apud omnes eſt in confeſſo, quod cujuſcumque partis ſenſus (b), motuſque, pereat, ſtatim atque, qui ad eam tendit nervus, reſecatur, ligatur, obſtruitur. Res aliis illuſtretur exemplis. Invictum adſit Bellini experimentum. In cane vivo, leviter pungatur nervus uterque diaphragmaticus, vellicetur, diſtrahatur: contractum ſubitò videas diaphragma, complanatum, convulſumque. Suſpendatur vellicatio, aboleaturque ad tempus; poſteà verò ſtimuletur nervus, tum de novò, liquidi cujuſdam affluxu exſuſcitatur & convellitur muſculus. Quod ſi in nervum ligatura injiciatur, nulla perindè commotio, nulla contractio, niſi omninò tollatur vinculum. Hinc luce Clariùs Patet quod per nervi diaphragmatici cavitatem, liquidum quoddam decurrat. Reſecetur unus è majoribus nervis, una, alterave humoris limphatici guttula nudis oculis ſtillare conſpicitur. Hæc autem materies (2), num ætherea? electrica? phlogiſtica? magnetica? &c, &c? Illam in motum vorticoſum & perennem ruere, in expanſo atmoſpherico reperiri, fluctuare, circumferri paſſim demonſtrant chemiſtæ. Noſtros licet ſenſus ſubterfugiat, è meteoris tamen igneis, nuperrimiſque examinibus electricis, clarè innoteſcit. Mineralibus ſubſtantiis artificioſiſſimè intertexitur; Per radices, per foliorum, ramorumque ſuperficies, plantarum tubulos intrat. Per aſſumpta, poros (3)

(a) Haller. Prælect. Acad. tom. 2. p. 536.

(b) Frideric Offman. tom. 1. p. 86.

---

(1) Sic Galenus: « Anima in cerebro reſidens, nervis tanquam habenis, univerſum corpus regit, & » moderatur; per nervos, ſenſum, motumque ſingulis partibus impertit, quibus carere non poſſunt, » cum vita, in motu & ſenſu conſiſtat ». lib. 3 ad Anat. c. 9.

(2) Sic præſtantiſſimus è Græcis, Philoſophus Ariſtoteles: « Calor univerſus in univerſo ineſt, ità » ut quodammodo plena ſint animæ omnia. Ineſt in ſemine omnium, quod facit ut fœcunda ſint ſemina; » quod calidum τὸ θερμόν vocatur »: lib. de Gener. anim. 3.

(3) Solebant Veteres, maximè Senes, in ſole nudi ambulare, ex quo ſpirituale nutrimentum ſibi attraherent, *Plato in Phædon*.

cutis, inſpirationem, animantium corpora ingreditur. Solidorum & fluidorum ictus, renixuſque experta diù, in cerebro tandem ſecernitur, atque per nervos, ſingulis partibus proſpicientes, totam irradiat œconomiam animalem, permeat, regit, ordinat. Huic-ce influxui natales debet, illa jampridem occulta omnium ferè partium irritabilitas. Subtiliſſimus ille latex, motu abripitur rapidiſſimo. Hinc ſtupendâ celeritate inflantur, & detumeſcunt muſculi. Hinc cibus in ſtomacum demiſſus fibras dilatat, extendit, irritat. Hinc elongatæ fibræ, propter exquiſitiſſimum, quo donantur ſenſum, vi maximâ, in priſtinum ſeſe reſtituere ſtatum nitentes, reſiliunt. Illud etenim viſcus hæderaceo quaſi amplexu ambiunt numeroſiſſimi nervorum rami. A pari vago, imò & ab intercoſtali procedunt. Atque varios efformantes plexus, ab orificio ſuperiori ad inferius totum ventriculi contextum peragrant, contentumque in canalibus liquorem, tempore opportuno, copioſiori flumine profundunt. Undè cum profligatus omninò defecerit ille vitalis (*a*) ſuccus, anxius malè concoquit ventriculus, condolet caput, rore nutritio orbantur fibræ, morboſaque indoles fatiſcentibus ſupervenit organis. At exanimes ſubitò refocillantur animi, moderato ſpirituum ardentium potu. Qui in corporis receſſus delati, ità notabiliter ubique calorem ſuſcitant, ut actualis fermè ignis intraſſe videatur. Undè hylaritas, nova virtus, imaginatio vividior &c, &c. Eamdem etenim naturam ſortiuntur, qui per nervos circuunt ſpiritus. Miſeri mortales! Quo vivunt principio, eo deſtruuntur. Ab hâc vitali flammâ, prima rerum exordia; hæc denique, ſenſim ſine ſenſu, omnia torret & urit: ſic tandem exſiccantur corpora, & gelidâ morte divinus extinguitur ignis.

I V.

QUAMQUAM adducta, maximam partem, veritate nitantur, ventriculi; capitiſque conſenſus, totius demùm corporis cum ventriculo ſimpathia (*b*), ad argumenti confirmationem benè multa fænerantur, non prætermittenda. Omnia ferè in œconomiâ animali (*c*) pathematibus aguntur. *Uſque adeo nervea* (*d*), *ſentiens que compages totam regit machinam!* inquot funeſtos errores, ex ipſius cerebri, ventriculique vitio, quotidiè variarum partium organa trahuntur? Nonne percuſſo vehementer capite, enormes cientur vomitus? Nonne rurſus ventriculo nervosè affecto hemicraniæ intolerabiles, totius capitis acerbiſſimi dolores, pertinaciſſimi? Ut magis, magiſque veritas eluceſcat, quaſdam in medium proferamus obſervationes.

Apud Baglivum (*e*) legere eſt, quod anxiæ mentis inquietudines, ventriculum mox rapiant in conſenſum. Cum ferox malorum imaginatio læditur, oris amarities, inappentia, ructus, flatus, languor univerſalis ingruit.

Nunquam manifeſtius, quam à veneno imprudenter aſſumpto, ventriculi cum omni nervorum ſiſtemate conſpiratio evincitur. Sic annotante Clariſſ. D. D. De Horne (*f*), ſalia fermè omnia metallica, horrorem ventriculo quemdam injiciunt. Hinc nauſeæ, præcordiorum tormina, vomitus, mors. Non ſtimulis dun-

(*a*) Nenterus, ſuccum nerveum admittit nutritioni præfectum. Phyſ. med. c. 4.

(*b*) Vid. Theſim *An ventriculus ſimpathiæ centrum?* Auth. D. Desbois de Rochefort. an. 1772.

(*c*) Vid. Æliani Montalto Luſitani *Archipathologiam* c. 35. p. 137.

(*d*) M. Lorri, de Morb. melan. t. 1. p. 288.

(*e*) De Fibrâ motrice. pag. 365.

(*f*) In Oper. præſtantiſſimo, cui titulus: *Expoſition raiſonnée des différentes Méthodes d'adminiſtrer le Mercure dans les maladies vénériennes, &c. &c.* p. 301, 302, 314, 376, 84 & ſqq.

taxat solida impetunt & irritant venena, verùm etiam eorum ictu lethifero, liquores humani à primâ indole degeneres, adulterantur, depravantur. Quam rem patefecit D. D. Guilbert Celeberr. Schol. Paris. Magister. narrat etenim (a) virum quemdam, cum duo arsenici albi grana, in trigentis circiter aquæ unciis deglutivisset, tunc horrendis correptum spasmis, omnem fermè evomuisse assumpti potûs quantitatem. Nihilominus tamen teterrima recrudescunt symptomata. Salutem desperant omnes. Fit tandem insignis per cutem excretio. Pustulis turgescit innumeris. Siccantur, & sanitati restitutus est æger. Quam evacuationem, veram venenorum crisim observavêre semper, melioris notæ practici. Nonne liquamina labefactantur? nonne lympha, fluidi nervei vehiculum? nonne universa vis vitæ perturbatur? obruitur?

(a) Journal de Médecine, an. 1756.

Pallentem litteratorum catervam inspicias velim. Mumiæ (b), adinstar exsiccatæ, emaciatum corpus, ac penè diaphanum vix sustinent. Quando quidem vigilatis noctibus, necessariam sibi demunt quietem. Ingenii laboribus insudantes, profundæ, & continuæ immerguntur meditationi. Tunc spiritus qui aliàs ad ventriculum præcipuè convertuntur, (c) retroacti, in animæ ministerium sese impendunt. Gravis est ventriculo cibus, premit vires, in rudem facessit chylum, crassumque sanguinem procreat. Hinc omnis generis, obstructionum cohors.

(b) Wedelius, de Studiorum intemperie.

(c) Ficinus, de Litteratorum sanitate tuendâ, lib. 1. cap. 2.

Ventriculi robur, cerebrique spiritus lacessit, omninoque tollit, præposterus veneris usus (1). Coïtus etenim juxta divum senem, brevis epilepsia. à venere nimiùm exercitatâ, sæpius Lombaginis (d) sævissimæ, cum semi-paraliticâ femorum atrophiâ, periculum incurritur. Ipsi etenim fatiscunt nervi, resolvuntur. Quot inauditas ludit tragædias, infamis sese masturbantium libido? Corrumpitur pulpa cerebri, invertitur funditùs digestio; gravissimum scaturit morborum agmen. Sensationum torpor, ingenii, memoriæque defectus; imbecillitas ventriculi, tabes dorsalis. Vix medicinæ locus relinquitur. Sic olim immaturâ morte percussum Onam (e), Scripturæ Sacræ testantur.

(d) Tissot, de Manustupratione. p. 222.

(e) Genesis, cap. 38. v. 9.

V.

NULLAM adhucdum in nervis cavitatem deprehenderunt oculi, vel optimis armati microscopiis. Quid in iis liquidum coerceri? Quid illud in æduliorum concoctione, per canales advehi gratuitò contendis? Responsum subministrat analogia. Anne in insectis vel minimis, acorum puta, vasa, liquida, omnisque generis viscera adesse non credideris? Hæc omnia tamen, nonnisi mentis oculis percipi possunt. Aeris etiam, insensibilisque perspirationis existentiam, quis, salvâ veritate, negaverit? Nonne diversos spirituum animalium modos arguunt diversa animi pathemata, somnus, vigilia, delirium? Quî à diuturno labore, ab animi (f) contentionibus, ab immoderatâ venere, à gravi denique morbo, totius machinæ debilitatem, vel collapsum explicabis?

(f) Sanchez, vide Opus: *Quod nihil scitur.* p. 171.

(1) Si quid spermatis, supra quam natura tollit, coitu profluit, obest magis, quam si quadragies, tantumdem sanguinis emanarit; ut non injuriâ prisci, Musas atque Minervam virgines esse voluerint. *Avicenn. L. de Animal. &c.*

Si folâ mechanicâ favente organòrum fabricâ, legitima fiat alimentorum degiftio, tanquam inutilis prorfus, actio vitalis arcenda eft. At nihil nos hæc altera movet objectio. Illam equidem partium ftructuram, apprimè convenientem, nec ullis impeditam obftaculis, ut genuinò digerantur cibi, neceffariam non diffitemur. Si etenim obftruitur hepar, lien; fi malè fe habeant ventriculi membranæ, corrugentur; fi fchirro laboret, unum alterumve hujufce vifceris orificium; tunc vomitus perpetuus, tunc macies præ foribus aftare, fatis fuperque fciunt omnes. Aft quos exagitatæ mentis cruciatus, altæ fpeculationes, nimius feminis profluxus, longiùs protracti, atque validiores corporis labores, longa invaletudo, examinârunt, vel oppresserunt, in iis per anatomem, nec decurtatæ, vel elongatæ magis, aut erofæ apparent fibræ, & eâdem quâ priùs integritate gaudet ventriculus; nec cætera quæ illum circumdant vifcera, ullam fuiffe jacturam paffa videntur. Totum attamen languet digeftionis opus, debilitatur officina chylopoïetica. Quid difflatos fpiritus animales clamitem? quid toties recoctam crambem moveam? in immenfum crefceret pagina, fi quæcumque pro noftra militant fententiâ, in apricum mittere, ferret animus. Hæc fufficiant, ut citiùs properemus ad concludendum:

Ergò perfectio digiftionis à latice nerveo.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joann.-Claudius MUNIER, Confiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ Invalidorum.

M. Joannes-Baptifta BAIGNERES.

M. Lodovicus-Guillelmus LE MONNIER, Confiliarius Medicus Regis ordinarius primarius, Regiarum Parifienfis, Londinenfis ac Berolinenfis Academiarum Socius & in Horto Regio Botanices Profeffor ac Demonftrator.

M. Deodatus JEANROY, è Regiâ Societate Medicâ Parifienfi pro Epidemis inftitutâ.

M. Alphonfus-Vincentius-Ludovicus-Antonius LE ROI.

M. Exuperius-Jofephus BERTIN, Supremi Valachiæ & Moldaviæ principis Medicus, antiquus Regis Exercituum & Caftrorum Medicus primarius, necnon è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Claudius-Francifcus DU CHANOY.

M. Joannes-Matthæus DE FRASNE.

M. Laurentius FERRET, Ecclefiæ Cameracenfis Canonicus.

Proponebat Parifiis AUGUSTINUS ROUSSEL DE VAUZESME, Allineus apud Altiffiodorenfes, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus, nec non Thefeos Auctor. A. R. S. H. 1777. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerfitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.